VITT. EMANUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
15 — G
18

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

6 6
C C
29 32

Digitized by Google

Del Collegio Romano.

Digitized by Google


PIISSIMI IN DEVM
AFFECTVS CORDIS.

Digitized by Google

PIISSIMI IN DEVM AFFECTVS CORDIS.

Laudantis, Pœnitentis, Humilis, Gratias agentis, Amantis, Petentis.

Ex Diui Auguſtini Confeſſionibus ſincerè delecti.



PARISIIS,
Excudebat Antonius Vitré, Regis, & Cleri Gallicani Typographus.

M. DC. LVI.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

PIO, BENEVOLOQVE LECTORI.

COnfeſſionum libros, quibus B. Auguſtinus Auguſtinum peccatorem ſanctiſſimè refert, & ſanctum ad miraculum exprimit à me pluries maxima ſemper cum animi voluptate fructuque perlectos frequenter à piis omnibus lectitari exopto, ſancti Patris calculum, doctiſſimoſque juxta ac Religioſos viros, qui primas illis pietatis, nec poſtremas eruditionis tribuerunt laudes, atque propriam ſequutus experientiam, potius quam Sciolum Roterodami Grammaticum, qui omnia fermè pia, vti pietatem ip-

ſam nauſeat. Sed quia non ſemper ſuauiſſimæ Hiſtoriæ ſeriem, non ſubtilium quæſtionum texturam percurrere vel repetere vacat, vt earum ſemper ſancta cibari dulcedine poſſit affectus, eos colligere omnes, quibus frequentiſſimè, data occaſione igneus Pater aſſurgit in Deum, & quaſi operis fructum in aceruum vnum congerere ſtatui, vt ibi breuiſſimo inueniatur compendio, quod vbique ſparſum diù erat quærendum atque exercitati in Auguſtinianis Confeſſionibus, occupati, ſacro aſſiſtentes, aut alicui pietatis exercitio, aut jaculatoriis orationibus incumbentes, omiſſa nimis prolixa, aut minus oportuna lectione, optatum ſubitò pietatis ex-

Digitized by Google

citamentum ad manus habeant. Affectus etiam idcirco omnes non eo, quo ex occaſione conſcripti ſunt ordine; ſed in capita quædam digeſſi, vt qui exempli cauſa Dei *laudes, ſiue amorem reſpiciunt, in vnum congeſti, ſine diſtractione inueniantur, & validius vno quaſi agmine impetum faciant.* Dei *laudes in prima ſectione collocauimus Chriſti* Domini *inſtitutionem ſequuti, qui diuinam à ſe præſcriptam orandi formulam à nominis* Dei *ſanctificatione auſpicatur. Contriti Cordis inde attexuimus ſuſpiria, quibus nouæ pœnitentium vitæ conſtant exordia proximè humilitatis ſubjunximus ſenſus, qui moralium omnium virtutum fundamenta ſub-*

ſternunt. Dein pro collatis veniæ, & virtutum donis gratiarum actiones, charitatis denique diuinique amoris ſummum apicem collocauimus; nouiſſimè autem (quod mirari non debes) petitionem, orationemque attexuimus, quia Spiritus ſanctus per quem charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris docet nos orare, rogat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, & petit conſeruationem, augmentum, & conſummationem Charitatis, quæ tantum in beata obtinetur vita, cui ſuſpirat vltimus omnium petitionis affectuum, qui item vltimus eſt etiam apud ſanctum Auguſtinum, & Confeſsionum clauſula, ſicuti Dei laudatio omnibus laudationis affecti-

bus

Digitized by Google

AFFECTVS CORDIS *Laudantis Deum.*

I.

MAGNVS es Domine, & laudabilis valde, magna Virtus tua, & Sapientiæ tuæ non eſt numerus, & laudare te vult homo, aliqua portio creaturæ tuæ circumferens mortalitatem ſuam, circumferens teſtimonium peccati ſui, & teſtimonium, quia ſuperbis reſiſtis.

Conf. lib. 1. cap. 1.

Quid es Deus meus? quid niſi Dominus Deus, Summe, Optime, Omnipotentiſſime, Miſericordioſiſſime, Iuſtiſſi-

Lib. 1. cap. 4.

Digitized by Google

me, Præſentiſſime, Secretiſſime, Pulcherrime, & quid dicimus Deus meus, Vita mea, dulcedo mea ſancta, aut quid dicit aliquis cùm de te dicit? væ tacentibus de te, quoniam loquaces muti ſunt.

Lib. 1. cap. 6. Summus es Domine, & non mutaris, neque peragitur in te hodiernus dies; & tamen in te peragitur; quia in te ſunt iſta omnia, non enim haberent vias tranſeundi, niſi contineres ea: quid ad me ſi quid hæc non intelligat; gaudeat, & ipſe dicens quid eſt hoc? Gaudeat etiam ſic, & amet non inueniendo inuenire potius, quam inueniendo non inuenire.

Tu Domine ſemper viuis, & nihil moritur in te, quo-

niam ante primordia ſæculorum, & ante omne, quod vel ante dici poteſt, tu es; & apud te rerum omnium inſtabilium ſtant cauſæ, & rerum omnium mutabilium immutabiles manent origines, & omnium irrationabilium, & temporalium ſempiternæ viuunt rationes. *Lib. 1. cap. 6.*

Capiunt ne te Domine Cælum, & Terra, quoniam tu imples ea? non enim opus habes, vt à quoquam contilnearis, qui contines omnia, quoniam quæ imples, continendo imples, & vbique totus es, & res nulla te totum capit. *Lib. 1. cap. 3.*

Itane Domine Deus meus eſt quidquam in me, quod capiat te? an quia ſine te non *Lib. 1. cap. 2.*

Digitized by Google

eſſet quidquid eſt, ſit vt quidquid eſt, capiat te? non eſſem, Deus meus, niſi eſſes in me, & non eſſem, niſi eſſem in te, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.

Lib. 1. cap. 6. Vnde tale animal, quale homo niſi abs te Domine? an quiſquam ſe faciendi erit artifex? aut vlla vena trahitur aliundè, qua eſſe & viuere currat in nos, præterquam quod tu facis nos Domine, cui eſſe, & viuere, non aliud, atque aliud eſt, quin ſummè eſſe, atque ſummè viuere idipſum es?

Lib. 4. cap. 10. & 11. Laudet te ex creatis anima mea Deus Creator omnium, ſed non infigatur in eis glutino amoris per ſenſus corporeos; eunt enim quo ibant,

Digitized by Google

vt non ſint, & conſcindunt eam deſideriis peſtilentioſis; quoniam ipſa eſſe vult, & requieſcere amat in eis, quæ amat; in illis autem non eſt vbi; quia non ſtant; & quis ea ſequitur ſenſu carnis? aut quis ea comprehendit, vel cùm preſtò ſunt? longè illis melior, qui fecit omnia, & ipſe eſt Deus noſter, & non diſcedit, quia non ſuccedi-tur ei.

Te laudet anima mea Domine, vt amet te, & confiteatur tibi miſerationes tuas, vt laudet te, non ceſſat, non tacet laudes tuas vniuerſa creatura, nec ſpiritus omnis per os conuerſum ad te, nec animalia, nec corporalia per os conſiderantium ea, vt *Libr. 5. cap. 1.*

Digitized by Google

exurgat in te à laſſitudine anima noſtra, innitens eis, quæ feciſti, & tranſiens ad te, qui feciſti.

Lib. 11. cap. 4. Tu Domine feciſti omnia, qui pulcher es, pulchra ſunt enim; qui bonus es, bona ſunt enim; qui es, ſunt enim; nec ita pulchra ſunt, nec ita bona ſunt, nec ita ſunt, ſicut tu conditor eorum, cui comparata, nec pulchra ſunt, nec bona ſunt, nec ſunt.

Lib. 10. cap. 34. Quàm innumerabilia addiderunt homines ad illecebras oculorum variis artibus, & opificiis, foris ſequentes, quod faciunt, intus relinquentes, à quo facti ſunt? At ego Deus meus, & decus meum etiam hinc tibi dico hymnum, & ſacrifico lau-

dem ſanctificatori meo, quoniam pulchra trajecta per animas in manus artificioſas, ab illa pulchritudine veniunt, quæ ſuper animas eſt, cui ſuſpirat anima mea die, ac nocte.

Quam magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti, & illa principium, & in eo principio feciſti Cælum & Terram. *Lib. 11. cap. 9.*

Tu Domine ſemper operaris, & ſemper quieſcis, nec vides ad tempus, nec moueris ad tempus, nec requieſcis ad tempus, & tamen facis, & viſiones temporales, & ipſa tempora, & quietem ex tempore: nos iſta, quæ feciſti, videmus, quia ſunt; tu autem quia vides ea, ſunt, & *Lib. 13. cap. 37.*

Digitized by Google

nos foris videmus, quia ſunt, & intus, quia bona ſunt: tu autem ibi vidiſti facta, vbi vidiſti facienda: tu bonum nullo indigens bono; ſemper quietus es, quoniam tua quies tu ipſe es, & hoc intelligere, quis hominum dabit homini? quis Angelus Angelo? quis Angelus homini? A te petatur, in te quæratur, apud te pulſetur; ſic, ſic accipietur, ſic inuenietur, ſic aperietur.

Digitized by Google

AFFECTVS CORDIS Ad Deum conuerſi, & pœnitentis.

II.

RECORDARI volo tranſactas fœditates meas, & carnales corruptiones animæ meæ, non quòd eas amem, ſed vt te amem Deus meus. Amore amoris tui recolo vias meas nequiſſimas in amaritudine recogitationis meæ. *Lib. 2. cap. 1.*

Ecce cor meum Deus meus, ecce cor meum, quod miſeratus es in imo abyſſi. Amaui perire, amaui defectum meum, non illud, ad quod deficiebam, non dede- *Lib. 2. cap. 4.*

Digitized by Google

core aliquid, ſed dedecus appetens.

Lib. 2. cap. 2. O tardum gaudium meum! Tacebas tunc, & ego ibam longè à te in plurima, & plura ſterilia ſemina dolorum, ſuperba dejectione, & inquieta laſſitudine. Vbi eram, & quàm longè exulabam à delitiis domus tuæ?

Deus lumen cordis mei, & panis oris intùs animæ meæ, *Lib. 1. cap. 13.* & virtus maritans mentem meam, & ſinum cogitationis mentis meæ, non te amabam, & fornicabar abs te. Amicitia enim hujus mundi fornicatio eſt abs te. Et hæc non flebam, ſequens condita tua, relicto te, è terra iens in terram.

Efferbui miſer ſequens im-

Digitized by Google

petum fluxus mei, relicto te, & exceſſi omnia legitima tua, nec euaſi flagella tua. Quis enim hoc mortalium? Nam tu ſemper aderas miſericorditer ſæuiens, & amariſſimis aſpergens offenſionibus omnes illicitas jucunditates meas, vt ita quærerem ſine offenſione jucundari. *Lib. 2. cap. 2.*

Defluxi abs te ego, & errraui Deus meus, nimis deuius à ſtabilitate tua, & factus ſum mihi regio egeſtatis. *Lib. 2. cap. 10.*

Fames mihi erat intus ab interiore cibo, teipſo Deus meus, & ex fame non eſuriebam, ſed eram ſine deſiderio alimentorum incorruptibilium, non quia plenus eis eram, ſed quò inanior, eò faſtidioſior. *Lib. 3. cap. 1.*

Digitized by Google

Circumuolabat ſuper me fidelis à longè miſericordia tua. O tu prægrandis miſericordia mea Deus meus, refugium meum à terribilibus nocentibus, in quibus vagatus ſum præfidenti collo ad longè recedendum à te, amans vias meas, & non tuas, amans fugitiuam libertatem.

Lib. 3. cap. 3.

Væ Væ, quibus gradibus deductus ſum in profunda Inferi? quippe laborans, & æſtuans inopia veri, cùm te Deus meus (tibi enim confiteor, qui me miſeratus es, & nondum confitentem) cùm te non ſecundùm intellectum mentis, quo me præſtare voluiſti belluis, ſed ſecundùm ſenſum carnis quærerem: tu autem eras interior

Lib. 3. cap. 6.

Digitized by Google

intimo meo, & ſuperior ſummo meo.

Pietate humili reditur in te, & purgas nos à conſuetudine mala, & propitius es peccatis confitentium, & exaudis gemitus compeditorum, & ſoluis à vinculis, quæ nobis fecimus : ſi jam non erigamus aduersùs te cornua falſæ libertatis, auaritia plus habendi, & damno totum amittendi, ampliùs amando proprium noſtrum, quàm te omnium bonum.

Lib. 3. cap. 8.

Miſiſti manum tuam ex alto, & de hac profunda caligine eruiſti animam meam, cùm pro me ploraret ad te mater mea, fidelis tua, amplius quàm flent matres corporea funera. Exaudiſti eam,

Lib. 3. cap. 11.

Digitized by Google

nec deſpexiſti lachrymas ejus.

Ego confiteor tibi dedecora mea in laude tua. Sine me
Lib. 4. cap. 1. obſecro, & da mihi circumire præſenti memoria præteritos circumitus erroris mei, & immolare tibi hoſtiam jubilationis.

Ecce tu imminens dorſo
Lib. 4. cap. 4. fugitiuorum tuorum, Deus vltionum, & fons miſericordiarum, conuertens nos ad te miris modis. Quis laudes tuas enumerat vnus, in ſe vno quas expertus eſt? Quàm inueſtigabilis abyſſus judiciorum tuorum!

Te nemo amittit, niſi qui
Lib. 4. cap. 9. dimittit. Et qui dimittit, quò it, aut quò fugit: niſi à te placido ad te iratum? Nam

Digitized by Google

vbi non inuenit legem tuam in pœna ſua? Et lex tua veritas, & veritas tu.

Deus virtutum conuerte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus. Nam quaqua verſum ſe vertit anima hominis, ad dolores figitur, alibi præterquam in te. Tametſi figitur in pulchris extra te, & extra ſe. *Lib. 4. cap. 10.*

Voluebam apud me corporea figmenta obſtrepentia cordis mei auribus, quas intendebam dulcis veritas in interiorem melodiam tuam, ſtare cupiens, & audire te, & gaudio gaudere propter vocem Sponſi, & non poteram, quia vocibus erroris mei rapiebar foras, & pondere ſuperbiæ meæ in ima decide- *Lib. 4, cap. 15.*

bam. Non enim dabas auditui meo gaudium, & lætitiam, aut exultabant oſſa, quæ humiliata non erant.

Celeritas intelligendi, & diſputandi acumen, donum tuum eſt, ſed non inde ſacrificabam tibi. Itaque mihi non ad vſum, ſed ad perniciem magis valebat, quia tàm bonam partem ſubſtantiæ meæ ſategi habere in poteſtate, & fortitudinem meam non ad te cuſtodiebam, ſed profectus ſum abs te in longinquam regionem, vt eam diſſiparem in meretricias cupiditates.

Lib. 4. cap. 16.

Viuit apud te ſemper bonum noſtrum, quod tu ipſe es, & quia inde auerſi ſumus, peruerſi ſumus. Reuertamur jam

Lib. 4. cap. 16.

Digitized by Google

jam Domine, vt non euertamur: & non timebimus, ne non ſit, quò redeamus, quia nos inde ruimus, nobis autem abſentibus non ruit domus noſtra, æternitas tua.

Fugerunt à te Domine iniqui, vt non viderent te, videntem ſe, atque excœcati in te offenderent injuſti, & juſtè vexarentur, ſubtrahentes ſe lenitati tuæ, & offendentes in rectitudinem tuam, & cadentes in aſperitatem tuam. Conuertantur ergo, & quærant te, quia non ſicut ipſi deſeruerunt te Creatorem ſuum, ita & tu deſeruiſti creaturam tuam. Quærant te, & ecce ibi es in corde confitentium tibi, & proijcentium ſe in te, & ploran- *Lib. 5. cap. 2.*

Digitized by Google

tium in ſinu tuo poſt vias ſuas difficiles, & tu facilis terges lachrymas eorum, vt magis plorent, & gaudeant in fletibus.

Lib. 5. cap. 2. Vbi ego eram, quando te quærebam? tu eras ante me, ego autem & à me diſceſſeram, nec me inueniebam, quantò minùs te?

Lib. 3. cap. 2. Talis vita mea, numquid vita erat Deus meus!

Lib. 6. cap. 1. Spes mea à juuentute mea, vbi mihi eras, & quò receſſeras? An verò non tu feceras me, & diſcreueras me à quadrupedibus, & volatilibus Cæli? Sapientiorem me feceras, & ambulabam per tenebras, & lubricum, & quærebam te foris à me, & non inueniebam Deum cordis mei.

Digitized by Google

Magnus es Domine, & humilia reſpicis, excelſa autem à longè cognoſcis. Nec propinquas, niſi obtritis corde, nec inueniris à ſuperbis, nec ſi illi curioſa peritia numerent ſtellas, & arenam, & dimentiantur ſidereas plagas, & inueſtigent vias aſtrorum, & deficientes à lumine tuo, tantò antè Solis defectum futurum præuident, & in præſentia ſuum non vident. Non enim religiosè quærunt, vnde habeant ingenium, quo iſta quærant. Et inuenientes, quia tu feciſti eos, non ipſi ſe dant tibi, vt ſerues, quod feciſti, cognoſcentes Deum, non ſicut Deum honorant, aut gratias agunt.

Lib. 5. cap. 3.

Digitized by Google

Infelix homo, qui ſcit omnia, te autem neſcit. Beatus autem qui ſcit, etiamſi illa neſciat. Qui verò te, & illa nouit, non propter illa beatior, ſed propter te ſolum beatus eſt, ſi cognoſcens te glorificet, & non euaneſcat in cogitationibus ſuis.

Lib. 5. cap. 4.

Nunc tibi inhæreat anima mea, quam de viſco tàm tenaci mortis exuiſti. Quàm miſera erat, & ſenſum vulneris tu pungebas, vt relictis omnibus conuerteretur ad te, qui es ſuper omnia, & ſine quo nulla eſſent omnia, conuerteretur, & ſanaretur.

Lib. 6. cap. 6.

Ita erat valetudo animæ meæ, quæ vtique niſi credendo ſanari non poterat, vt ne falſa crederet, curari re-

Lib. 6. cap. 4.

Digitized by Google

cuſaret, reſiſtens manibus tuis Domine, qui medicamenta fidei confeciſti, & aſperſiſti ſuper morbos orbis terrarum, & tantam illis authoritatem tribuiſti.

Erant ora egentium, & inopiam anhelantium, & à te expectantium, vt dares eis eſcam in tempore opportuno: & in omni amaritudine, quæ noſtros ſeculares actus de miſericordia tua ſequebatur, intuentibus finem, cur ea pateremur, occurrebant tenebræ, & auerſabamur gementes, & dicebamus: Quandiù hæc? *Lib. 6. cap. 10.*

Tranſibant tempora, & tardabam conuerti ad Dominum Deum, & differebam de die in diem viuere in te, *Lib. 6. cap. 11.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

& non differebam quotidie in meipſo mori, amans beatam vitam, timebam illam in ſede ſua, & ab ea fugiens quærebam eam, & medicinam miſericordiæ tuæ non cogitabam, quia expertus non eram, quam vtique dares, ſi gemitu interno pulſarem aures tuas, & fide ſolida in te jactarem curam meam.

Lib. 7. cap. 17. Iam te amabam, & non inſtabam frui Deo meo, ſed rapiebar ad te decore tuo, moxque diripiebar abs te pondere meo, & ruebam in iſta cum gemitu, & pondus hoc, conſuetudo carnalis.

Lib. 7. cap. 18. & in part. 19. Quærebam viam comparandi roboris, quod eſſet idoneum ad fruendum te: nec inueniebam, donec am-

plecterer vocantem, & dicentem: Ego ſum via, veritas, & vita, & cibum, cui capiendo inualidus eram, miſcentem carni, quoniam Verbum caro factum eſt, vt infantiæ noſtræ lacteſceret ſapientia tua, per quam creaſti omnia. Sed ego quid Sacramenti haberet, Verbum caro factum eſt, ne ſuſpicari quidem poteram.

Qui de longinquo videre non poteſt viam, tamen ambulet, quâ veniat, & videat, & teneat. Quid faciet miſer homo? Quis eum liberabit de corpore mortis hujus, niſi gratia tua, per Iesvm Christvm Dominum noſtrum? *Lib. 7. cap. 21.*

Tibi laus, tibi gloria, fons

Digitized by Google

Lib. 6. cap. 16. miſericordiarum. Ego fiebam miſerior, & tu propinquior. Aderat jam, jamque dextera tua, ereptura me de cœno, & ablutura, & ignorabam. neſciens idipſum ad magnam miſeriam pertinere, quòd ita demerſus, & cœcus cogitare non poſſem lumen honeſtatis, & gratis amplectendæ pulchritudinis, quam non vidit oculus carnis, & videtur ex intimo.

Lib. 7. cap. 21. Aliud eſt de ſilueſtri cacumine videre patriam pacis, & iter ad eam non inuenire, & fruſtra conari per inuia, circumobſidentibus, & inſidiantibus fugitiuis deſertoribus, cum principe ſuo Leone & Dracone: & aliud tenere

nere viam illuc ducentem, cura cæleſtis Imperatoris munitam, vbi non latrocinantur, qui cæleſtem militiam deſeruerunt. Vitant enim eam ſicut ſupplicium.

Inheſerant præcordiis meis verba tua, & vndique circumuallabar abs te, nec certior de te, ſed ſtabilior in te eſſe cupiebam. placebat via ipſe Saluator, & ire per ejus anguſtias adhuc pigebat. Inueneram jam bonam margaritam, & venditis omnibus, quæ haberem, emenda erat, & dubitabam. *Lib. 8. cap. 1.*

Et tu Domine vſquequo? Vſquequo Domine iraſceris in finem? Ne memor fueris iniquitatum noſtrarum antiquarum. Quandiù, quandiù? *Lib. 8. cap. 12.*

Digitized by Google

Quàre non hac hora finis turpitudinis meæ?

Lib. 8. cap. 11. Retinebant me nugæ nugarum, & vanitates vanitatum antiquæ amicæ meæ, & ſuccutiebant veſtem meam carneam, & ſubmurmurabant: Dimittis ne nos? & à momento iſto non erimus tecum vltrà in æternum? At caſta dignitas continentiæ, ſerena, & non diſſolutè hilaris, honeſtè blandiens, & extendens ad me ſuſcipiendum, & amplectendum pias manus plenas gregibus bonorum exemplorum, irridebat me irriſione exhortatoria, quaſi diceret: Tu non poteris, quod iſti, & iſtæ? An verò iſti, & iſtæ in ſemetipſis poſſunt, ac non in

Domino Deo ſuo? Dominus Deus eorum me dedit eis. Quid in te ſtas, & non ſtas? Proijce te in eum: noli metuere: non ſe ſubtrahet, vt cadas. Proijce te ſecurus; excipiet te, & ſaluabit te.

Inſtabas tu in occultis meis, Domine, ſeuera miſericordia, flagella ingeminans timoris, & pudoris, ne ceſſarem, & non abrumperetur vinculum meum exiguum, & tenue, quod remanſerat, & reualeſceret iterum, & me robuſtius alligaret. *Lib. 8. cap. 11.*

Quid patimur? Quid eſt hoc? Surgunt indocti, & Cælum rapiunt, & nos cum doctrinis noſtris ſine corde: ecce vbi volutamur in carne, & ſanguine. An quia præ- *Lib. 8. cap. 8.*

Digitized by Google

ceſſerunt, pudet ſequi? & non pudet nec ſaltem ſequi?

Non habent humanæ philoſophiæ paginæ vultum pietatis, lachrymas confeſſionis, ſacrificium tuum, ſpiritum contribulatum, cor contritum, & humiliatum, populi ſalutem, ſponſam Ciuitatem, arram Spiritus ſancti, poculum pretij noſtri. Nemo ibi cantat: Nonne Deo ſubdita erit anima mea? ab ipſo enim ſalutare meum.

Lib. 7. cap. 21.

Legebam, iraſcimini, & nolite peccare. Et quomodo mouebar Deus meus, qui jam didiceram iraſci mihi de præteritis, vt de cætero non peccarem? Ibi enim, ibi mihi iratus eram, intus in cubili, vbi compunctus eram,

Lib. 9. cap. 4.

Digitized by Google

ibi ſacrificaueram mactans vetuſtatem meam, & inchoata meditatione renouationis meæ ſperans in te, ibi mihi dulceſcere cœperas, & dederas lætitiam in corde meo.

Fueram ex ſurdis, & mortuis peſtis latrator amarus, & cæcus aduerſus literas de melle cæli melleas, & de lumine tuo luminoſas; nunc autem ſuper inimicis ſcripturæ tuæ tabeſcebam, & inſinuati ſunt mihi in profundo nutus tui, & gaudens in fide laudaui nomen tuum. *Lib. 9. cap. 4.*

Vidi ſplendorem tuum corde ſaucio, & repercuſſus dixi: Quis illuc poteſt? Projectus ſum à facie oculorum tuorum. Tu es veritas ſuper omnia præſidens. At ego per *Lib. 10. cap. 41.*

Digitized by Google

auaritiam meam non amittere te volui, ſed volui tecum poſſidere mendacium: ſicut nemo vult ita falſum dicere, vt neſciat ipſe, quid verum ſit. Itaque amiſi te, quia non dignaris cum mendacio poſſideri.

Lib. 6. cap. 16. Væ animæ audaci, quæ ſperauit, ſi à te receſſiſſet, ſe aliquid melius habituram. Verſa, & reuerſa in tergum, & in latera, & in ventrem, & dura ſunt omnia. Et tu ſolus requies. Et ecce ades, & liberas à miſerabilibus erroribus, & conſtituis nos in via tua, & conſolaris, & dicis: Currite, ego feram, & ego perducam, & ego ibi feram.

Lib. 8. cap. 3. Quid eſt hoc Domine Deus meus, quòd tu miſericors pa-

Digitized by Google

ter, plus gaudes de vno pœnitente, quàm de nonaginta-nouem juſtis, quibus non eſt opus pœnitentiâ, cùm tu æternum tibi, tu ipſe ſis gaudium, & quædam de te circa te ſemper gaudeant? Hei mihi, quàm excelſus es in excelſis, & quàm profundus es in profundis, & nuſquam recedis, & vix redimus ad te.

Flete mecum, & pro me flete, qui aliquid boni vobiſcum intus agitis, vnde facta procedunt. Tu autem Domine Deus meus, axaudi, reſpice, & vide, & miſerere, & ſana me: in cujus oculis mihi quæſtio factus ſum, & ipſe eſt languor meus. *Lib. 10. cap. 33.*

Fornicatur anima, cùm auertitur abs te, & quærit ex- *Lib. 2. cap. 6.*

Digitized by Google

tra te ea, quæ pura, & liquida non inuenit, niſi cùm redit ad te. Peruersè te imitantur omnes, qui longè ſe à te faciunt, & extollunt ſe aduerſum te. Sed etiam ſic te imitando indicant Creatorem te eſſe omnis naturæ, & ideò non eſſe, quò à te omninò recedatur.

Omnibus iſtis laboribus noſtris, quò ambimus peruenire? Quid quærimus? Cujus rei cauſa militamus? Majorne eſſe poterit ſpes noſtra in palatio, quàm vt amici Imperatoris ſimus? Et tibi, quid non fragile, plenumque periculis? Et per quot pericula peruenitur ad grandius periculum? Amicus autem Dei ſi voluero, ecce nunc fio.

Lib. 8. cap. 6.

AFFECTVS CORDIS Humiliati.

III.

NVLLO alio præter te inſpirante Domine Deus meus, verum dico, cùm tu ſis veritas: omnis autem homo mendax. Et ideo qui loquitur mendacium, de ſuo loquitur. Ergo, vt verum loquar, de tuo loquar. *Lib. 13. cap. 25.*

Quis eſt, qui doceat me, niſi qui illuminat cor meum, & diſcernit vmbras ejus? *Lib. 2. cap. 8.*

Iam docueras me Deus meus, miris, & occultis modis, & propterea credo, quòd tu me docueris, quoniam verum eſt, nec quiſquam præ- *Lib. 5. cap. 6.*

Digitized by Google

ter te alius eſt Doctor veri, vbicumque, & vndecumque claruerit.

Lib. 2. cap. 7. Quis eſt hominum, qui ſuam cogitans infirmitatem audet viribus ſuis tribuere caſtitatem, atque innocentiam ſuam: vt minus amet te, quaſi ei minus neceſſaria fuerit miſericordia tua, quâ donas peccata conuerſis ad te?

Lib. 2. cap. 7. Qui vocatus à te, ſecutus eſt vocem tuam, te tantumdem, imò verò ampliùs diligat, quia per quem me videt tantis peccatorum meorum languoribus exui, per eum ſe videt tantis peccatorum languoribus non implicari.

Lib. 4. cap. 3. Bonum eſt confiteri tibi Domine, & dicere: Miſerere

Digitized by Google

mei, cura animam meam, quoniam peccaui tibi.

Quid ſum mihi ſine te, niſi dux in præceps? Aut quid ſum, cùm mihi bene eſt, niſi ſugens lac tuum, aut fruens te cibo, qui non corrumpitur? Et quis homo eſt, quilibet homo, cùm ſit homo? Sed irrideant nos fortes, & potentes, & nondum ſalubriter proſtrati, & eliſi à te Deus meus: Nos autem infirmi, & inopes confiteamur tibi. *Lib. 4. cap. 1.*

Audax adhuc potiùs, quàm fortis animus, eò infirmior eſt, quò de ſe præſumit, qui debet de te, niſi inde manu validiſſima, & miſericordioſiſſima eum tu trahas, & doceas, non ſui habere, ſed tui fiduciam. *Lib. 6. cap. 8.*

Digitized by Google

Lib. 4. cap. 12. Deſcendite, vt aſcendatis, & aſcendatis ad Deum. Cecidiſtis enim aſcendendo contra eum.

Lib. 7. cap. 7. Humiliaſti Domine tamquam vulneratum ſuperbum, & tumore meo ſeparabar abs te, & nimis inflata facies claudebat oculos meos.

Abſcondiſti hæc à ſapientibus, & reuelaſti ea paruulis, *Lib. 7. cap. 9.* vt venirent ad eum laborantes, & onerati, & reficeret eos, qui mitis eſt, & humilis corde, & dirigit mites in iudicio, & docet manſuetos vias ſuas, videns humilitatem noſtram, & laborem noſtrum, & dimittens omnia peccata noſtra.

Lib. 7. cap. 10. Inueni me longè eſſe à te in regione diſſimilitudinis,

tamquam audirem vocem tuam de excelſo. Cibus ſum grandium; creſce, & manducabis me. Nec tu me in te mutabis, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.

Cognoui Domine, quoniam pro iniquitate erudiſti hominem, & tabeſcere feciſti, ſicut araneam animam meam. *Lib. 7. cap. 10.*

Verbum tuum æterna veritas, ſuperioribus creaturæ ſuæ partibus ſupereminens, ſubditos erigit ad ſeipſum: in inferioribus autem ædificauit ſibi humilem domum, de limo noſtro, per quam ſubdendos deprimeret à ſeipſis, & ad ſe traijceret ſanans tumorem, & nutriens amorem: ne fiducia ſui progrede- *Lib. 7. cap. 18.*

Digitized by Google

tentur longius, ſed potius infirmarentur, videntes ante pedes ſuos infirmam diuinitatem, ex participatione tunicæ pelliceæ noſtræ, & laſſi proſternerentur in eam, illa autem ſurgens leuaret eos.

Lib. 9. cap. 1. Quis ego, & qualis ego? Quid non mali ego? Aut facta mea, aut ſi non facta, dicta mea, aut ſi non dicta, voluntas mea fuit? Et hoc erat totum nolle, quod volebas, & velle, quod nolebas.

Lib. 9. cap. 13. O ſi cognoſcant ſe homines: & qui gloriantur, in Domino glorientur. Quiſquis enim tibi enumerat vera merita ſua, quid tibi enumerat niſi munera tua?

Lib. 10. cap. 2. Tibi quidem Domine, cujus oculis nuda eſt abyſſus

Digitized by Google

humanæ conſcientiæ, quid occultum eſſet in me, etiam ſi nollem confiteri tibi? Te enim mihi abſconderem, non me tibi. Nunc autem quòd gemitus meus teſtis eſt diſplicere me mihi, tu refulges, & places, & amaris, & deſideraris, vt erubeſcam de me, & abijciam me, atque eligam te, & nec tibi, nec mihi placeam, niſi de te.

Tibi Domine confitear verbis animæ, & clamore cogitationis, quem nouit auris tua. Cùm enim malus ſum, nihil eſt aliud confiteri tibi, quàm diſplicere mihi: cùm verò piùs, nihil eſt aliud confiteri tibi, quàm hoc non tribuere mihi: quoniam tu Domine benedicis juſtum, ſed *Lib. 10. cap. 2.*

Digitized by Google

prius eum juſtificas impium. Neque enim rectum aliquid audies à me, quod non mihi tu prius dixeris.

Gratias tibi, laudes tibi Deo meo, magiſtro meo, pulſatori aurium mearum illuſtratori cordis mei. Eripe me ab omni tentatione. Quis enim eſt Domine, qui non rapiatur aliquantulum extra metas neceſſitatis? Quiſquis eſt, magnus eſt, magnificet nomen tuum. Ego autem non ſum, quia peccator homo ſum. Sed & ego magnifico nomen tuum, & interpellat te pro peccatis meis, qui vicit ſeculum, numerans me inter infirma membra corporis ſui, quia, & imperfectum meum viderunt oculi tui,

Lib. 10. cap. 31.

tui, & in libro tuo omnes ſcribentur.

Nemo ſecurus ſit in hac vita, quæ tota tentatio nominatur: vt qui fieri potuit ex deteriore melior, non fiat etiam ex meliore deterior. Vna ſpes, vna fiducia, vna firma promiſſio, miſericordia tua. *Lib. 10. cap. 32.*

Erigo ad te inuiſibiles oculos Domine, vt tu euellas de laqueo pedes meos. Tu ſubinde euellis eos: nam illaqueantur. Tu non ceſſas euellere: ego autem crebrò hæreo vbique ſparſis inſidiis, quoniam non dormis, neque dormitabis, qui cuſtodis Iſrael. Nam ego capior miſerabiliter, & tu euellis miſericorditer aliquando non ſen- *Lib. 10. cap. 34.*

Digitized by Google

tientem, quia ſuſpenſus incideram, aliquando cum dolore, quia jam inhæſeram.

Nos autem Domine puſillus grex tuus ecce ſumus. tu nos poſſide. Prætende alas tuas, & fugiamus ſub eas. Gloria noſtra tu eſto. Qui enim laudari vult ab hominibus, vituperante te, non defenditur ab hominibus, judicante te, nec eripietur, damnante te.

Lib. 10. *cap.* 36.

Egenus, & pauper ego ſum, & melior in occulto gemitu diſplicens mihi, & quærens miſericordiam tuam, donec reficiatur defectus meus, & perficiatur vſque in pacem, quam neſcit arrogantis oculus.

Lib. 10. *cap.* 39.

Sunt qui ſibi placent de ſe,

Digitized by Google

quamuis nec placere affe-
ctent cæteris. Sed ſibi pla- *Lib. 10. cap. 39.*
centes multum tibi diſpli-
cent, non tantùm de non bo-
nis quaſi bonis, verum etiam
de bonis tuis, quaſi ſuis, aut
etiam ſicut de tuis, ſed tam-
quam ex meritis ſuis: aut
etiam ſicut ex tua gratia, ſed
non ſua merita, non tamen
ſocialiter gaudentes, ſed aliis
inuidentes ea. In his omni-
bus, atque hujuſcemodi pe-
riculis, & laboribus, vides
Domine tremorem cordis
mei, & vulnera mea magis
ſubinde à te ſanari, quàm mi-
hi infligi ſentio.

O quàm excelſus es! & hu- *Lib. 11. cap. 31.*
miles corde ſunt domus tua.
Tu enim erigis eliſos, & non
cadunt, quorum fortitudo tu
es.

Digitized by Google

Domine tremenda ſunt judicia tua, quoniam veritas tua, nec mea eſt, nec illius, aut illius, ſed omnium noſtrum, quos ad ejus communionem publicè vocas, terribiliter admonens nos, vt nolimus eam habere priuatam, ne priuemur ea. Nam quiſquis id, quod tu omnibus ad fruendum proponis, ſibi propriè vindicat, & ſuum vult eſſe, quod omnium eſt, à communi propellitur ad ſua, hoc eſt, à veritate ad mendacium. Qui enim loquitur mendacium, de ſuo loquitur.

Lib. 12. cap. 25.

Digitized by Google

AFFECTVS CORDIS Gratias agentis Deo.

IV.

ACCIPE ſacrificium confeſſionum mearum de manu linguæ meæ, quam formaſti, & excitaſti, vt confiteatur nomini tuo, & ſana omnia oſſa mea, & dicant: Domine, quis ſimilis tibi? *Lib. 5. cap. 1.*

Non deficiam in confitendo tibi miſerationes tuas, quibus eruiſti me ab omnibus viis meis peſſimis: vt dulceſcas mihi ſuper omnes ſeductiones, quas ſequebar, & amem te validiſſimè, & amplexer manum tuam totis præcordiis meis, vt eruas me *Lib. 1. cap. 15.*

Digitized by Google

ab omni tentatione vſque in finem.

Lib. 1. cap. 5. Nonne tibi prolocutus ſum aduerſus me delicta mea Deus meus, & tu dimiſiſti impietatem cordis mei?

Lib. 2. cap. 7. Gratiæ tuæ deputo, & miſericordiæ tuæ, quòd peccata mea tamquam glaciem ſoluiſti: gratiæ tuæ deputo, & quæcumque non feci mala. Quid enim non facere potui, qui etiam gratuitum facinus amaui? Et omnia mihi dimiſſa eſſe fateor: & quæ mea ſponte feci mala, & quæ te duce non feci.

Lib. 2. cap. 7. Quid retribuam, quod recolit hæc memoria mea, & anima mea non metuit inde? Diligam te Domine, & gratias agam, & confitear nomi-

Digitized by Google

ni tuo, quoniam tanta dimiſiſti mihi mala, & nefaria opera mea. (per baptiſmatis videlicet gratiam.)

Tibi excellentiſſimo, atque optimo conditori, & rectori vniuerſitatis Deo noſtro gratias; Gratias tibi dulcedo mea, & honor meus, & fiducia mea. Gratias tibi de donis tuis: ſed tu mihi ea ſerua. Ita enim ſeruabis me, & augebuntur, & perficientur, quæ dediſti mihi, & ero ipſe tecum: quia vt ſim, tu dediſti mihi. *Lib. 1. cap. 20.*

Manus tuæ Deus meus in abdito prouidentiæ tuæ, non deſerebant animam meam, & de ſanguine cordis matris meæ, per lachrymas eius diebus, ac noctibus pro me ſa- *Lib. 5. cap. 7.*

crificabatur tibi, & egiſti mecum miris, & occultis modis.

Lib. 6. cap. 7. Tu, qui præſides gubernaculis omnium, quæ creaſti, vtens omnibus, & ſcientibus, & neſcientibus, ordine, quo noſti, & ille ordo juſtus eſt, carbones ardentes operaris, quibus mentem aduris tabeſcentem, & ſanas. Taceat laudes tuas, qui miſerationes tuas non conſiderat, quæ tibi de medullis meis confitentur.

Lib. 7. cap. 6. Confiteantur etiam tibi de intimis viſceribus animæ meæ miſerationes tuæ Deus meus. Tu enim, tu omninò à morte omnis erroris reuocas nos vita, quæ mori neſcit, & ſapientia mentes indigentes

tes illuminans, nullo indigens lumine, quâ mundus adminiſtratur vſque ad arborum volatica folia.

Tu verò Domine in æternum manes, & non in æternum iraſceris nobis, quoniam miſertus es terram, & cinerem: & placuit in conſpectu tuo reformare deformia mea, vt reſideret tumor meus, ex occulta manu medicinæ tuæ, acieſque conturbata, & contenebrata mentis meæ acri collyrio ſalubrium dolorum meorum de die in diem ſanaretur. *Lib. 7. cap. 8.*

Cùm in libris tuis manſuefactus ſum Domine, & curantibus digitis tuis contrectarentur vulnera mea; diſtinxi, quid intereſſet inter *Lib. 7. cap. 20.*

præſumptionem, & confeſſionem, inter videntes, quò eundum ſit, nec videntes quâ, vt philoſophi, & viam ducentem ad beatificam patriam, non tantùm cernendam, ſed & inhabitandam.

Deus meus recorder in gratiarum actione tibi, & confitear miſericordias tuas ſuper me. Perfundantur oſſa mea dilectione tua, & dicant. Domine, quis ſimilis tibi? Dirupiſti vincula mea, ſacrificem tibi ſacrificium laudis. Benedictus Dominus in cælo, & in terra, magnum, & mirabile nomen eius.

Lib. 8. cap. 1.

Domine ego ſeruus tuus, ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo ho-

Lib. 9. cap. 1.

ſtiam laudis. Laudet te cor meum, & lingua mea, & omnia oſſa mea dicant: Domine quis ſimilis tibi? Dicant, & reſponde mihi, & dic animæ meæ, Salus tua ego ſum.

Vbi erat tam annoſo tempore, & de quo imo, altoque ſecreto euocatum eſt in momento liberum arbitrium meum, quo ſubderem ceruicem leni jugo tuo, & humeros leui ſarcinæ tuæ, CHRISTE IESV, adjutor meus, & redemptor meus. *Lib. 9. cap. 1.*

Iam liber erat animus meus à curis mordacibus ambiendi, & acquirendi, & volutandi, atque ſcalpendi ſcabiem libidinum: & garriebam tibi claritati meæ, & *Lib. 9. cap. 1.*

diuitiis meis, & ſaluti meæ, Domino Deo meo.

Lib. 9. cap. 4. Quando mihi ſufficiat tempus commemorandi omnia magna erga me beneficia tua? reuocat enim me recordatio mea, & dulce mihi fit Domine, confiteri tibi, quibus internis me ſtimulis perdomueris, & quemadmodum me complanaueris humiliatis montibus, & collibus cogitationum mearum, & tortuoſa mea direxeris, & aſpera lenieris.

Lib. 9. cap. 4. Quas tibi Deus meus voces dedi, cùm legerem Pſalmos Dauid, cantica fidelia, & ſonos pietatis excludentes turgidum ſpiritum? Quas tibi voces dabam in Pſalmis illis, & quomodo in te inflamma-

Digitized by Google

bar ex eis, & accendebar eos recitare, ſi poſſem toto terrarum orbe aduerſus typhum generis humani, quod illa ſacramenta, illa medicamenta neſcit, & inſanum eſt aduerſus antidotum, quo ſanum eſſe potuiſſet.

Munera tua tibi confiteor Domine Deus meus, Creator omnium, & multum potens reformare noſtra deformia. Quis præter te talium miraculorum opifex? Fugit à nobis ſollicitudo vitæ præteritæ. Nec ſatiabar dulcedine mirabili conſiderare altitudinem conſilij tui ſuper ſalutem generis humani. *Lib 9. cap. 6.*

Tu ſcis Domine, quanta ex parte mutaueris me, vt propitius fias etiam cæteris

Lib. 10. cap. 36. omnibus iniquitatibus meis, & ſanes omnes languores meos, & redimas de corruptione vitam meam, & corones me in miſeratione, & miſericordia, & ſaties in bonis deſiderium meum.

Compreſſiſti à timore tuo ſuperbiam meam, & manſuefeciſti jugo tuo ceruicem meam. Et nunc porto illud, & leue eſt mihi, quoniam ſic promiſiſti, & feciſti, & verè ſic erat, & neſciebam, quando id ſubire metuebam.

Lib. 10. cap. 36.

Tu Domine deleuiſti omnia mala merita mea, ne retribueres manibus meis, in quibus à te defeci: & præueniſti omnia bona merita mea, vt retribueres manibus tuis, quibus me feciſti, quia

Lib. 13. cap. 1.

& priuſquam eſſem, tu eras. Nec eram, cui præſtares, vt eſſem, & tamen ecce ſum ex bonitate tua, præueniente totum hoc, quòd me feciſti, & vnde me feciſti.

Dixiſti Domine, Fiat lux, & facta eſt lux, in creatura ſpirituali; quia erat jam qualiſcumque vita, quam illuminares. Sed ſicut non te promeruerat, vt eſſet talis vita, quæ illuminari poſſet: ita nec cùm jam eſſet, promeruit te, vt illuminaretur. Neque enim ejus informitas placeret tibi, ſi non lux fieret, non exiſtendo, ſed intuendo illuminantem lucem, eique cohærendo: vt & quòd vtcumque viuit, & quòd beatè viuit, non debe- *Lib. 13. cap. 3.*

Digitized by Google

ret niſi gratiæ tuæ, conuerſa per commutationem meliorem ad id, quod neque in melius, neque in deterius commutari poteſt, quod tu ſolus es, qui ſolus ſimpliciter es, cui non eſt aliud viuere, aliud beatè viuere, quia tua beatitudo tu es.

Lib. 13. cap. 15. Perfice Deus meus laudem tuam ex ore infantium, & lactentium. Neque enim nouimus alios libros ita deſtruentes ſuperbiam, ita deſtruentes inimicum, & defenſorem, reſiſtentem reconciliationi tuæ, defendendo peccata ſua. Non noui Domine, non noui alia tam caſta eloquia, quæ ſic mihi perſuaderent confeſſionem, & lenirent ceruicem meam

jugo tuo, & inuitarent colere te gratis. Intelligam ea Pater bone.

AFFECTVS CORDIS
Amantis Deum.
V.

FECISTI nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. *Lib. 1. cap. 1.*

Quis mihi dabit acquieſcere in te? Quis mihi dabit, vt venias in cor meum, & inebries illud, vt obliuiſcar mala mea, & vnum bonum meum amplectar te? *Lib. 1. cap. 5.*

Quid tibi ſum Domine, vt amari te jubeas à me, & niſi faciam, iraſcaris mihi, *Lib. 1. cap. 5.*

& mineris ingentes miſerias? Paruane eſt ipſa miſeria, ſi non amem te?

Lib. 2. cap. 1. Dulceſcas tu mihi dulcedo non fallax, dulcedo fœlix, & ſecura, colligens à diſperſione, in qua fruſtratim diſciſſius ſum, dum ab vno te auerſus in multa euanui.

Lib. 1. cap. 20. Bonus eſt, qui fecit me, & ipſe eſt bonum meum, & illi exulto bonis omnibus. In ipſo, non in creaturis ejus me; atque cæteras voluptates, ſublimitates, & veritates quæram.

Lib. 2. cap. 5. Habent hæc ima delectationes, ſed non ſicut Deus meus, qui fecit omnia, quia in ipſo delectatur juſtus, & ipſe eſt delitiæ rectorum corde.

Digitized by Google

Te volo juſtitia, & innocentia, pulchra, & decora honeſtis lumininibus, & inſatiabili ſatietate. Quies eſt apud te valde, & via imperturbabilis. Qui intrat in te, intrat in gaudium Domini ſui, & non timebit, & habebit ſe optimè in optimo. *Lib. 2. cap. 10.*

Mi Pater ſummè bone, pulchritudo pulchrorum omnium. O veritas! quàm intimè medullæ animi mei ſuſpirabant tibi, cùm mihi inferebantur pro te pulchra opera tua, ſed tamen opera tua, non te. At ego non illa, ſed temetipſum, te veritas, in qua non eſt commutatio, nec momenti obumbratio, eſuriebam, & ſitiebam. *Lib. 3. cap. 6.*

Digitized by Google

At tu amor meus, in quem deficio, vt fortis ſim, nec iſta corpora es, quæ videmus: quamquam de Cælo; nec ea es, quæ non videmus ibi, quia tu iſta condidiſti, nec in ſummis tuis conditionibus habes. Tu vita es animarum, vita vitarum viuens teipſa, & non mutaris vita animæ meæ.

Lib. 3. cap. 6.

Noli eſſe vana anima mea, & obſurdeſcere in aure cordis, tumultu vanitatis tuæ. Numquid ego aliquo diſcedo, ait Verbum Dei? Ibi fige manſionem tuam, ibi commenda, quicquid inde habes anima mea, ſaltem fatigata fallaciis. Veritati commenda, quicquid tibi eſt à veritate, & non perdes

Lib. 4. cap. 11.

Digitized by Google

aliquid, & refloreſcent putrida tua, & ſanabuntur omnes languores tui, & fluxa tua reformabuntur, & renouabuntur, & conſtringentur ad te, & permanebunt ad ſemper ſtantem, & permanentem Deum.

Si placent corpora, Deum ex illis lauda, & in artificem eorum, retorque amorem: ne in his, quæ tibi placent, tu diſpliceas. *Lib. 4. cap. 11.*

Si placent animæ, in Deo amentur: quia & ipſæ mutabiles ſunt, & in eo fixæ ſtabiliuntur. Rape ad eum tecum, quas potes, & dic eis: Hunc amemus, hunc amemus, ipſe fecit hæc, & non eſt longè. Non enim fecit, atque abiit, ſed ex illo, & in *Lib. 4. cap. 12.*

illo ſunt. Ecce vbi eſt, vbi ſapit veritas. Intimus cordi eſt, ſed cor errauit ab eo.

Redite præuaricatores ad cor, & inhærete illi, qui fecit vos. State cum eo, & ſtabitis. Requieſcite in eo, & quieti eritis, Quò itis in aſpera? quò itis? Bonum, quod amatis, ab illo eſt. Sed quantum eſt ad illum, bonum eſt, & ſuaue. Sed amarum erit juſtè, quia injuſtè amatur deſerto illo, quicquid ab illo eſt.

Lib. 4. cap. 12.

Non eſt requies, vbi quæritis eam. Quærite, quod quæritis. ſed ibi non eſt, vbi quæritis. Beatam vitam quæritis in regione mortis: Non eſt illic. Quomodo enim beata vita, vbi nec vita?

Lib. 4. cap. 12.

Digitized by Google

Deſcendit huc ipſa vita noſtra, & tulit mortem noſtram, & occidit eam de abundantia vitæ ſuæ, & tonuit clamans, vt redeamus hinc ad eum, in illud ſecretum, vnde proceſſit ad nos, clamans dictis, factis, morte, vitâ, deſcenſu, aſcenſu, clamans, vt redeamus ad eum: diſceſſit ab oculis, vt redeamus ad cor, & inueniamus eum. Filij hominum vſquequò graues corde? Numquid & poſt deſcenſum vitæ, non vultis aſcendere, & viuere? *Lib. 4. cap. 12.*

O æterna veritas, & vera charitas, & cara æternitas! Tu es Deus meus, tibi ſuſpiro die, ac nocte. Et cùm te primum cognoui, tu aſſumpſiſti me, vt viderem eſſe, *Lib. 7. cap. 10.*

Digitized by Google

quod viderem, & nondum me eſſe, qui viderem. Et reuerberaſti infirmitatem aſpectus mei, radians in me vehementer, & contremui amore, & honore.

Mihi autem inhærere Deo bonum eſt, quia ſi non manebo in illo, nec in me potero. Ille autem in ſe manens innouat omnia. Et Dominus meus eſt, quoniam bonorum meorum non eget.

Lib. 7. cap. 11.

Quàm ſuaue mihi ſubitò factum eſt, carere ſuauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Eijciebas enim eas à me, vera tu, & ſumma ſuauitas: eijciebas, & intrabas pro eis omnis voluptate dulcior, ſed non carni,

Lib. 9. cap. 1.

ni, & ſanguini: omni luce clarior, ſed omni ſecreto interior: omni honore ſublimior, ſed non ſublimibus in ſe.

Sagittaueras tu Domine cor meum charitate tua, & geſtabam verba tua transfixa viſceribus: & exempla ſeruorum tuorum, quos de nigris lucidos, & de mortuis viuos feceras, congeſta in ſinum cogitationis meæ, vrebant, & abſumebant grauem torporem, ne in ima vergerem, & accendebant me valde. *Lib. 9. cap. 2.*

Inhorrui timendo, ibidemque inferbui ſperando, & exultando in tua miſericordia Pater, cùm conuerſus ad nos ſpiritus tuus bonus ait *Lib. 9. cap. 4.*

Digitized by Google

nobis: Filij hominum quouſque graues corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Dilexeram enim vanitatem, & quæſieram mendacium, & tu Domine jam magnificaueras ſanctum tuum, ſuſcitans eum à mortuis, & collocans ad dexteram tuam, vnde mitteret ex alto promiſſionem ſuam, Paracletum Spiritum veritatis, & miſerat eum jam, ſed ego neſciebam.

Nolebam multiplicari terrenis bonis deuorans tempora, & deuoratus temporalibus, cùm haberem in æterna ſimplicitate aliud frumentum, & vinum, & oleum. Et clamabam clamore alto cordis mei: O in pace! ô in idip-

Lib. 9. cap. 4.

ſum! O quid dixit, Obdormiam, & ſomnum capiam! Quoniam quis reſiſtet nobis, cùm fiet ſermo, qui ſcriptus eſt: Abſorta eſt mors in victoria? Et tu es idipſum valde: qui non mutaris, & in te requies obliuiſcens omnium laborum.

Quantùm fleui in hymnis, & canticis tuis, ſuaue ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter? Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat inde affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & bene mihi erat cum eis. *Lib. 9. cap. 6.*

Inhiabam ore cordis in ſuperna fluenta fontis tui, fontis vitæ, qui eſt apud te, & eri-

Digitized by Google

gens me ardentiore affectu in
Lib. 9. cap. 10. idipſum, perambulabam gradatim cuncta corporalia, & ipſum Cælum, vnde Sol, Luna, & Stellæ lucent ſuper terram. Et adhuc aſcendi interius, & veni in mentem meam, & tranſcendi eam, vt attingerem regionem vbertatis indeficientis, vbi paſcis Iſrael in æternum veritatis pabulo.

Si cui ſileant phantaſiæ terræ, & aquarum, & aeris, ſileant & poli, & ipſa ſibi anima ſileat; quoniam ſi quis au-
Lib. 9. cap. 10. diat, dicunt hæc omnia: Non ipſa nos fecimus, ſed fecit nos, qui manet in æternum: His dictis ſi jam taceant, quoniam erexerunt aurem in eum, qui fecit ea, & loqua-

Digitized by Google

tur ipſe ſolus, non per ea, ſed per ſeipſum, vt audiam Verbum ejus, & ipſum, quem in his amo, ipſum ſine his audiam: ſicut nunc extendi me, & rapidâ cogitatione attigi æternam ſapientiam ſuper omnia manentem, ſi continuetur hoc, & ſubtrahantur aliæ viſiones longè imparis generis, & hæc vna rapiat, & abſorbeat, & recondat in interiora gaudia ſpectatorem ſuum, vt talis ſit ſempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ, cui ſuſpiraui. Nonne hoc eſt, intra in gaudium Domini tui?

Quid eſt illud, quod interlucet mihi, & percutit cor meum ſine læſione, & inhorreſco, & inardeſco? Inhor- *Lib. 11. cap. 9.*

Digitized by Google

reſco, in quantum diſſimilis ei ſum, inardeſco in quantum ſimilis ei ſum. Sapientia ipſa, quæ interlucet mihi, diſcindens nubilum meum, quod me rurſus cooperit deficientem ab ea caligine, atque aggere pœnarum mearum: quoniam ſic infirmatus eſt in egeſtate vigor meus, vt non ſufferam bonum meum, donec tu Domine, qui propitius factus es omnibus iniquitatibus meis, etiam ſanes omnes languores meos: quia & redimes de corruptione vitam meam, & coronabis me in miſeratione, & miſericordia; & ſatiabis in bonis deſiderium meum, quoniam renouabitur juuentus mea ſicut aquilæ.

Digitized by Google

Aliquando intromittis me in affectum multum inuſitatum introrſus, & neſcio quam dulcedinem, quæ ſi perficiatur in me, neſcio quid erit, quod vita iſta non erit. Sed recido in hæc ærumnoſis ponderibus, & reſorbeor ſolitis, & teneor, & multùm fleo, ſed multùm teneor. Tantùm conſuetudinis ſarcina degrauat. Hic eſſe valeo, nec volo, illic volo; nec valeo. miſer vtrobique. *Lib. 10. cap. 40.*

O domus Dei luminoſa, & ſpecioſa! dilexi decorem tuum, & locum habitationis gloriæ Domini mei, fabricatoris, & poſſeſſoris tui. Tibi ſuſpiret peregrinatio mea, & dico ei, qui fecit te, vt poſſideat & me in te, quia *Lib. 12. cap. 15.*

Digitized by Google

fecit & me. Erraui ſicut ouis perdita, ſed in humeris paſtoris mei, ſtructoris tui ſpero me reportari tibi. Hæc eſt domus Dei non terrena, neque vlla cæleſti mole corporea, ſed ſpiritualis, & particeps æternitatis tuæ, quia ſine labe in æternum ſtat. Statuiſti enim eam in ſæculum, & in ſæculum ſæculi, præceptum poſuiſti, & non præteribit. Supergreditur enim omnem diſtenſionem, & omne ſpatium ætatis volubile, cui ſemper inhærere Deo bonum eſt.

Obſecro te Deus meus, ne ſileas à me. Tu loquere in corde meo veraciter: ſolus
Lib. 12. cap. 16. enim ſic loqueris: & intrem in cubile meum, & cantem tibi

tibi amatoria, gemens inenarrabiles gemitus in peregrinatione mea, & recordans Ieruſalem, extento in eam ſurſum corde, Ieruſalem patriam meam, Ieruſalem matrem meam, teque ſuper eam regnatorem, illuſtratorem, patrem, tutorem, maritum, caſtas, & fortes delitias, & ſolidum gaudium, & omnia bona ineffabilia ſimul omnia, quia vnum ſummum, & verum bonum, & non auertar, donec in ejus pacem matris cariſſimæ, vbi ſunt primitiæ ſpiritus mei colligas totum, quod ſum, à diſperſione, & deformitate hac, & conformes, atque confirmes in æternum Deus meus, miſericordia mea.

Digitized by Google

Cùm inhæſero tibi ex omni me, nuſquam erit mihi dolor, & labor, & viua erit vita mea tota plena te. Nunc autem, quoniam quem tu imples, ſubleuas eum: quoniam tui plenus non ſum, oneri mihi ſum.

Lib. 10. cap. 28.

Tota ſpes mea, non niſi in magna valde miſericordia tua. Imperas nobis continentiam; per eam quippe colligimur, & redigimur in vnum, à quo in multa defluximus: minus enim te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. O amor, qui ſemper ardes, & numquam extingueris! charitas Deus meus: accende me. Continentiam jubes. Da quod jubes, & jube, quod vis.

Lib. 10. cap. 29.

Digitized by Google

Non dubia, ſed certa conſcientia, Domine, amo te. Percuſſiſti cor meum Verbo tuo, & amaui te. Sed & cælum, & terra, & omnia, quæ in eis ſunt, ecce vndique mihi dicunt, vt te amem: neque ceſſant dicere omnibus, vt ſint inexcuſabiles. Altiùs autem tu miſereberis, cui miſertus eris, & miſericordiam præſtabis, cui miſericors fueris. Alioquin cælum, & terra ſurdis loquuntur laudes tuas. *Lib. 10. cap. 6.*

Quid amo, cùm te amo Deus meus? Non ſpeciem corporis, non decus temporis, non candorem lucis, ecce iſtis amicum oculis, non dulces melodias ſuauium cantilenarum, non *Lib. 10. cap. 6.*

manna, & mella, non membra acceptabilia carnis amplexibus. Non hæc amo, & tamen amo quamdam lucem, & quamdam vocem, & quemdam odorem, & quemdam cibum, & quemdam amplexum, cùm amo Deum meum, lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei, vbi fulget animæ, quod non capit locus, & vbi ſonat, quod non rapit tempus, & vbi olet, quod non ſpargit flatus, & vbi ſapit, quod non minuit edacitas, & vbi hæret, quod non diuellit ſatietas. Hoc eſt, quod amo, cùm Deum meum amo.

Lib. 10. cap. 22. Abſit Domine, abſit à corde ſerui, qui confitetur tibi,

Digitized by Google

vt quocumque gaudio gaudeam, beatum me putem. Eſt enim gaudium, quod non datur impiis, ſed eis, qui te gratis colunt, quorum gaudium tu ipſe es. Et ipſa eſt beata vita gaudere ad te, de te, propter te: ipſa eſt, & non eſt altera.

Beata vita eſt gaudium de veritate. Hoc eſt enim gaudium de te, qui veritas es, Deus illuminatio mea, ſalus faciei meę Deus meus. Hanc vitam beatam omnes volunt, ſed quoniam caro concupiſcit aduersùs ſpiritum, & ſpiritus aduersùs carnem, vt non faciant, quod volunt, cadunt in id, quod valent, eoque contenti ſunt, quia illud, quod non valent, non *Lib. 10. cap. 23.*

Digitized by Google

tantùm volunt, quantùm ſat eſt, vt valeant.

Ex quo didici te, manes in memoria mea, & illic te in-
Lib. 10. cap. 24. uenio, cùm reminiſcor tui, & delector in te. Hæ ſunt ſanctæ delitiæ meæ, quas donaſti mihi miſericordia tua, reſpiciens paupertatem meam.

Serò te amaui pulchritudo tam antiqua, & tam noua, ſerò te amaui. Et ecce intus
Lib. 10. cap. 27. eras, & ego foris, & ibi te quærebam, & in iſta formoſa, quæ feciſti, deformis irruebam. Mecum eras, & tecum non eram. Ea me tenebant longè à te, quæ ſi in te non eſſent, non eſſent. Vocaſti, & clamaſti, & rupiſti ſurditatem meam. Coruſca-

ſti, ſplenduiſti, & fugaſti cæcitatem meam. Fragraſti, & duxi ſpiritum, & anhelo tibi. Guſtaui, & eſurio, & ſitio. Tetigiſti me, & exarſi in pacem tuam.

O lux, quam videbat Tobias, cùm clauſis iſtis oculis filium docebat vitæ viam, & ei præibat pede charitatis nuſquam errans: aut Iſaac opertis carneis luminibus: aut Iacob captus oculis. Ipſa eſt lux, vna eſt, & alia non eſt, & vnum omnes qui vident, & amant eam. *Lib. 10. cap. 34.*

Lux es tu Domine permanens, quam de omnibus conſulebam, an eſſent, quid eſſent, quanti pendenda eſſent. Neque in his omnibus, quæ percurro conſu- *Lib. 10. cap. 40.*

lens te, inuenio tutum locum animæ meæ, niſi in te, quo colligantur ſparſa mea, nec à te quicquam recedat ex me.

Lib. 10. cap. 43. Verax mediator, quem ſecreta tua miſericordia demonſtraſti humilibus, & miſiſti, vt ejus exemplo etiam ipſam diſcerent humilitatem, mediator illa Dei, & hominum homo CHRISTVS IESVS eſt. Quomodo nos amaſti, Pater bone, qui filio tuo vnico non peperciſti, ſed pro nobis impiis tradidiſti eum? Quomodo nos amaſti, pro quibus ille, qui non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualis tibi, factus eſt ſubditus vſque ad mortem Crucis, vnus ille pro nobis tibi

victor, & victima, & ideò victor, quia victima: tibi ſacerdos, & ſacrificium, & ideò ſacerdos, quia ſacrificium, faciens tibi nos de ſeruis filios, de te naſcendo, nobis ſeruiendo?

Melior eſt miſericordia tua ſuper vitas. ecce diſtenſio eſt vita mea, & me ſuſcepit dextera tua, vt à veteribus diebus colligar ſequens vnum, præterita oblitus: ſequor ad palmam ſupernæ vocationis: vbi audiam vocem laudis tuæ, & contempler delectationem tuam, nec venientem, nec prætereuntem. Nunc verò anni mei in gemitibus, & tu ſolatium meum Domine Pater meus, æternus es, donec in te con- *Lib. 11. cap. 29.*

Digitized by Google

fluam purgatus, & liquidus igne amoris tui.

Lib. 12. cap. 10. O veritas lumen cordis mei, etiam tenebræ meæ loquantur mihi. Defluxi ad iſta, & obſcuratus ſum, ſed hinc etiam, hinc adamaui te. Erraui, & recordatus ſum tui. Audiui vocem tuam poſt me, & vix audiui propter tumultus peccatorum. Et nunc ecce redeo æſtuans, & anhelans ad fontem tuum. Nemo me prohibeat, hunc bibam, & tunc viuam. Nam non ego vita mea. Si tamen malè vixi, mors mihi fui, & in te reuiuiſco. Tu me alloquere, tu mihi ſermocinare.

Lib. 12. cap. 15. Tu Deus diligenti te, quantùm præcipis, oſtendis ei te, & ſufficis ei, &

ideò non declinant à te, nec ad ſe.

Non eguiſti me, aut ego tale bonum ſum, quò tu adjuueris, Domine meus, & Deus meus: non vt tibi ſic ſeruiam, quaſi ne fatigeris in agendo, aut ne minor ſit poteſtas tua carens obſequio meo: neque vt ſic te colam, vt ſis incultus, ſi non te colam, ſed vt ſeruiam tibi, & colam te, vt de te mihi bene ſit, à quo mihi eſt vt ſim, cui bene ſit: ex plenitudine quippe bonitatis tuæ creatura tua ſubſiſtit, vt bonum, quod tibi nihil prodeſſet, nec de te æquale tibi eſſet, tamen quia ex te fieri potuit, non deeſſet. *Lib. 13. cap. 1. & 2.*

Corpori non hoc eſt eſſe,

Digitized by Google

quod pulchrum eſſe, alioquin deforme eſſe non poſſet, & creato ſpiritui non id eſt viuere, quod ſapienter viuere, alioquin incommutabiliter ſaperet. Bonum autem illi eſt, hærere tibi ſemper, ne quod adeptus eſt conuerſione, auerſione lumen amittat, & relabatur in vitam tenebroſæ abyſſo ſimilem. Nam & nos, qui ſecundùm animam creatura ſpiritualis ſumus, auerſi à te noſtro lumine in ea vita fuimus aliquando tenebræ, & in reliliquiis obſcuritatis noſtræ laboramus, donec ſimus juſtitia tua in vnico tuo, ſicut montes Dei. Nam judicia tua fuimus ſicut abyſſus multa.

Lib. 13. cap. 2.

Digitized by Google

Deus meus vbi es? Ecce vbi es? Reſpiro in te paululùm, cùm effundo ſuper me animam meam in voce exultationis, & confeſſionis ſoni feſtiuitatem celebrantis. Et adhuc triſtis eſt, quia relabitur, & fit abyſſus, vel potius ſentit adhuc ſe eſſe abyſſum. Dicit ei fides mea, quam accendiſti in nocte ante pedes meos: Quare triſtis es, anima mea, & quare conturbas me? Spera in Domino, lucerna pedibus tuis verbum eius: ſpera, & perſeuera, donec tranſeat nox mater iniquorum, donec tranſeat ira Domini, cuius filij & nos fuimus aliquando tenebræ, quarum reſidua trahimus in corpore propter peccatum

Lib. 13. cap. 14.

Digitized by Google

mortuo, donec aſpiret dies, & remoueantur vmbræ.

Pondus non ad ima tantùm eſt, ſed ad locum ſuum. Ignis ſurſum tendit, deorſum lapis. Ponderibus ſuis aguntur, loca ſua petunt. Minus ordinata inquieta ſunt, ordinantur, & quieſcunt. Pondus meum, amor meus, eo feror, quocumque feror. Dono tuo accendimur, & ſurſum ferimur. Inardeſcimus, & imus. Aſcendimus aſcenſiones in corde, & cantamus canticum graduum. Igne tuo, igne tuo bono inardeſcimus, & imus, quoniam ſurſum imus ad pacem Hieruſalem, quoniam jucundatus ſum in his, quæ dixerunt mihi: in domum Domini ibimus.

Lib. 13. cap. 5.

Digitized by Google

Creaturæ rationali nullo modo ſufficit ad beatam requiem, quicquid te minus eſt, ac per hoc nec ipſa ſibi. Da mihi te Deus meus, redde te mihi. Te enim amo, & ſi parum eſt, amem validiùs. Non poſſum metiri, vt ſciam, quantùm deſit mihi amoris, ad id, quod ſatis eſt, vt currat vita mea in amplexus tuos, nec auertatur, donec abſcondar in abſcondito vultus tui. Hoc tantùm ſcio, quia malè mihi eſt præter te, non ſolùm extra me, ſed & in meipſo, & omnis mihi copia, quæ Deus meus non eſt, egeſtas eſt.

Lib. 13. cap. 8.

Digitized by Google

AFFECTVS CORDIS
Petentis à Deo.

VI.

INVOCO te Deus meus, miſericordia mea, qui feciſti me, & oblitum tui non oblitus es. Inuoco te in animam meam, quam præparas ad capiendum te ex deſiderio, quod inſpiras ei: nunc inuocantem te, ne deſeras, qui priuſquam inuocarem præueniſti, & inſtitiſti crebreſcens multimodis vocibus, vt audirem de longinquo, & conuerterer, & vocantem me, inuocarem te.

Lib. 13. cap. 1.

Quæram te Domine, inuocans te, & inuocem te credens

dens in te. Inuocat te Deus *Lib. 1. cap. 1.*
fides mea, quam inſpiraſti mihi per humanitatem Filij tui, per miniſterium prædicatoris tui.

Cognoſcam te cognitor meus, cognoſcam te, ſicut & à te cognitus ſum. Virtus *Lib. 10. cap. 1.*
animæ meæ, intra in eam, & coapta tibi: vt habeas, & poſſideas ſine macula, & ruga. Hæc eſt mea ſpes, ideò loquor, & in ea ſpe gaudeo, quando ſanum gaudeo. Cætera verò vitæ hujus tantò minus flenda, quantò magis fletur: & tantò magis flenda, quantò minus fletur in eis. Ecce enim veritatem dilexiſti, quoniam qui facit eam, venit ad lucem.

Hei mihi! Dic mihi per

Digitized by Google

Lib. 1. cap. 5. miſerationes tuas Domine Deus meus, quid ſis mihi. Dic animæ meæ: Salus tua ego ſum. Sic dic, vt audiam. Ecce aures cordis mei ante te Domine, aperi eas, & dic animæ meæ: Salus tua ego ſum. Curram poſt vocem hanc, & apprehendam te. Noli abſcondere à me faciem tuam. Moriar, ne moriar, vt eam videam.

Lib. 1. cap. 6. Sine me loqui apud miſericordiam tuam, me terram, & cinerem. Sine me tamen loqui: quoniam ecce miſericordia tua eſt, non homo irriſor meus, cui loquor.

Lib. 1. cap. 18. Numquid non erues Domine de hoc immaniſſimo profundo quærentem te animam, & ſitientem delecta-

Digitized by Google

tiones tuas, & cujus cor dicit tibi : Quæſiui vultum tuum, vultum tuum Domine requiram.

O Domine Deus noſter, in velamento alarum tuarum ſperamus, protege nos, & porta nos. Tu portabis, & paruulos, & vſque ad canos tu portabis : quoniam firmitas noſtra, quando tu es, tunc eſt firmitas : cùm autem noſtra eſt, infirmitas eſt. *Lib. 4. cap. 16.*

Dic mihi ſupplici tuo Deus, & miſericors miſero tuo, quod à te peto. *Lib. 1. cap. 6.*

Confeſſiones præteritorum malorum, quæ remiſiſti, & texiſti, vt beares me in te, mutans animam meam fide, & ſacramento tuo, excitant cor, ne dormiat in deſpera- *Lib. 10. cap. 3.*

Digitized by Google

tione, & dicat, non poſſum: ſed euigilet in amore miſericordiæ tuæ, & dulcedine gratiæ tuæ, quâ potens eſt omnis infirmus, qui ſibi per ipſam fit conſcius infirmitatis ſuæ, & ſecurior ſpe miſericordiæ tuæ, quàm innocentia ſua.

Lib. 1. *cap.* 15. Ecce Domine, Rex meus, & Deus meus, tibi ſeruiat, quicquid vtile didici, tibi ſeruiat, quod loquor, & ſcribo, & lego, & numero. Quoniam cùm vana diſcerem, tu mihi diſciplinam dabas: & in eis vanis, peccata delectationum mearum dimiſiſti mihi.

Lib. 8. *cap.* 4. Age Domine, & fac, excita, & reuoca nos, accende, & rape, flagra, dulceſce: jam amemus, & curramus.

Tu Domine delectatus odore ſancti templi tui, miſerere mei ſecundùm magnam miſericordiam tuam, propter nomen tuum, & nequaquam deſerens cœpta tua, conſumma imperfecta mea. Sum ſub alis tuis nimis cum ingenti periculo, niſi quia ſub alis tuis tibi ſubdita eſt anima mea, & infirmitas mea tibi nota eſt. Paruulus ſum, ſed viuit ſemper Pater meus, & idoneus eſt mihi tutor meus. Idem ipſe eſt enim, qui genuit me, & tuetur me, & tu ipſe es omnia bona mea, tu omnipotens, qui mecum es, & priuſquam tecum ſim.

Lib. 10. cap. 4.

Numquid non potens eſt manus tua Deus omnipotens, ſanare omnes languo-

Digitized by Google

Lib. 10. *cap.* 30. res animæ meæ, atque abundantiore gratia tua extinguere prauos motus meos? Augebis Domine magis, magiſque in me munera tua, vt anima mea ſequatur te concupiſcentiæ viſco expedita: quia vales facere ſupra quàm petimus, & intelligimus.

Lib. 10. *cap.* 30. Quid adhuc ſim, dixi bono Domino meo, exultans cum tremore in eo, quod donaſti mihi: & lugens in eo, quod inconſummatus ſum, & ſperans perfecturum te in me miſericordias tuas vſque ad pacem plenariam, quam tecum habebunt interiora, & exteriora mea, cùm abſorpta fuerit mors in victoria.

Lib. 10. *cap.* 31. Memento Domine, quia puluis ſumus, & de puluere

Digitized by Google

feciſti hominem, & perierat, & inuentus eſt. Nec ille in ſe potuit, qui dixit, Omnia poſſum in eo, qui me confortat. Conforta me, vt omnia poſſim.

Pulchras formas, & varias, nitidos, & amœnos colores amant oculi. Non teneant hæc animam meam, teneat eam Deus, qui hæc fecit, bona quidem valde, ſed ipſe eſt bonum meum, non hæc. *Lib. 10. cap. 34.*

Meritò mihi ſpes valida eſt, quòd ſanabis omnes languores meos per eum, qui ſedet ad dexteram tuam, & te interpellat pro nobis. alioquin deſperarem. Multi enim, & magni ſunt ijdem languores mei, multi ſunt, *Lib. 10. cap. 43.*

Digitized by Google

& magni: ſed major, & amplior eſt medicina tua.

Potuimus putare Verbum tuum remotum eſſe à conjunctione hominis, & deſperare de nobis: niſi caro fieret, & habitaret in nobis.

Lib. 10. cap. 43. Conterritus peccatis meis, & mole peccatorum, & miſeriæ meæ, agitaueram in corde, meditatuſque fueram fugam in ſolitudinem, ſed prohibuiſti me, & confirmaſti me, dicens: Ideo pro omnibus CHRISTVS mortuus eſt, vt qui viuunt, jam non ſibi viuant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt.

Ecce, Domine, jacto in te curam meam, & viuam: & *Lib. 10. cap. 43.* conſiderabo mirabilia de lege tua. Tu ſcis imperitiam meam

meam, & infirmitatem meam, doce me, & ſana me. Ille tuus vnicus, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientię abſconditi, redemit me ſanguine ſuo. Non calumnientur mihi ſuperbi: quoniam cogito pretium meum, & manduco, & bibo, & erogo: & pauper capio ſaturari ex eo, inter illos qui edunt, & ſaturantur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum.

Domine Deus, intende orationi meæ, & miſericordia tua exaudiat deſiderium meum. Da quod offeram tibi: inops enim, & pauper ſum, tu diues in omnes inuocantes te, qui ſecurus curam noſtri geris. Domine attende, & miſerere mei Do-

Digitized by Google

mine Deus meus, lux cœcorum, & virtus infirmorum, ſtatimque lux videntium, & virtus fortium, attende animam meam, & audi clamantem de profundo. Nam niſi adſint, & in profundo aures tuæ, quò ibimus? quò clamabimus?

O Domine perfice me. Ecce vox tua gaudium meum, vox tua ſuper affluentiam voluptatum. Da, quod amo: Amo enim, & hoc tu dediſti. Nec dona tua deſeras, nec herbam tuam ſpernas ſitientem. Audiam vocem laudis, & te bibam, & conſiderem mirabilia de lege tua. Domine miſerere mei, & exaudi deſiderium meum. Puto enim, quòd non ſit de terra,

Lib. 11. cap. 2.

Digitized by Google

non de auro, & argento, aut de lapidibus, aut decoris veſtibus, aut honoribus, & poteſtatibus, aut voluptatibus carnis, neque de neceſſariis corpori, & huic vitæ peregrinationis noſtræ: quæ omnia nobis apponuntur quærentibus regnum, & juſtitiam tuam. Vide Domine Deus meus, vnde ſit deſiderium meum. Narrauerunt mihi injuſti delectationes ſuas; ſed non ſic lex tua Domine. Ecce vnde eſt deſiderium meum. Vide, Pater, aſpice, & approba, & placeat in conſpectu miſericordiæ tuæ inuenire me gratiam ante te.

Dixiſti mihi Domine voce forti in aurem interiorem, quid mihi ſis. Hoc in conſpe- *Lib.* 11. *cap.* 12.

ctu tuo claret mihi, & magis magiſque clareſcat oro, atque in ea manifeſtatione perſiſtam ſobrius ſub alis tuis.

Domine Deus, pacem da nobis, pacem quietis, pacem ſabbati, pacem ſine veſpera. Omnis quippe iſte ordo pulcherrimus rerum valde bonarum, modis ſuis peractis tranſiturus eſt, & mane quippe in eis factum eſt, & veſpera. Dies autem ſeptimus ſine veſpera eſt, nec habet occaſum, quia ſanctificaſti eum ad permanſionem ſempiternam: vt ſicut tu poſt opera tua bona valde, quamuis ea quietus feceris, requieuiſti ſeptimo die, ita & nos poſt opera noſtra, ideo bona valde, quia tu nobis ea donaſti,

Lib. 13. cap. 35. 36. & 37.

Digitized by Google

Sabbato vitę æternæ requieſcamus in te etiam. Tunc enim ſic requieſces in nobis, quemadmodum nunc operaris in nobis: ita erit illa requies tua per nos, quemadmodum ſunt iſta opera tua per nos.

ORATIO

Ex primo Soliloquiorum de cognitione Dei, & Animæ Diui Auguſtini decerpta, recentem ipſius in Deum conuerſionem repræſentans.

Devs, Vniuerſitatis conditor, præſta mihi primum, vt benè te rogem; deinde, vt me agam dignum, quem liberes; poſtremo vt liberes. Deus, qui de nihilo Mundum iſtum creaſti, omnium,

Digitized by Google

quæ oculi ſentiunt, pulcherrimum. Deus, qui malum non facis, & facis eſſe ne peſſimum fiat. Deus in quo ſunt omnia: cui tamen vniuerſæ creaturæ, nec turpitudo turpis eſt; nec malitia nocet, nec error errat. Deus, Pater veritatis, Pater ſapientiæ. Pater veræ, ſummæque vitæ, Pater Beatitudinis, Pater boni, & pulchri, Pater intelligibilis lucis, Pater euigilationis, & illuminationis noſtræ, Pater pignoris, quo admonemur redire ad te. Te inuoco, Deus Veritas; in quo, à quo, & per quem vera ſunt, quæ vera ſunt omnia: Deus ſapientia; in quo, & à quo, & per quem ſapiunt, quæ ſapiunt omnia: Deus vera, &

ſumma vita, in quo, & à quo, & per quem viuunt, quæ verè, ſummeque viuunt omnia: Deus beatitudo; in quo, & à quo, & per quem beata ſunt, quæ beata ſunt omnia: Deus bonum, & pulchrum, in quo, & à quo, & per quem bona, & pulchra ſunt, quæ bona, & pulchra ſunt omnia: Deus intelligibilis lux; in quo, & à quo, & per quem intelligibiliter lucent, quæ intelligibiliter lucent omnia. Deus à quo auerti, cadere; in quem conuerti, reſurgere; in quo manere, conſiſtere eſt. Deus, à quo exire, emori; In quem redire, reuiuiſcere; in quo habitare, viuere eſt. Deus, quem nemo amittit, niſi de-

ceptus; quem nemo quærit niſi admonitus; quem nemo inuenit, niſi purgatus. Deus, qui facis, vt pulſantibus aperiatur. Deus, qui nobis das panem vitæ. Deus, per quem bibimus potum, quo hauſto numquam ſitiamus. Deus, qui arguis ſæculum de Peccato, de Iuſtitia, & de Iudicio: tu veni mihi in auxilium, vna, æterna, vera ſubſtantia: vbi nulla diſcrepantia, nulla confuſio, nulla tranſitio, nulla indigentia, nulla mors: vbi ſumma concordia, ſumma euidentia, ſumma conſtantia, ſumma plenitudo, ſumma vita: vbi nihil deeſt, nihil redundat: vbi qui gignit, & qui gignitur, vnum ſunt. Exaudi,

Ita in

exaudi,

Digitized by Google

exaudi, exaudi, me Deus meus, Domine meus, Rex meus, Pater meus, cauſa mea, ſpes mea, res mea, honor meus, domus mea, patria mea, ſalus mea, lux mea, vita mea; exaudi, exaudi, exaudi me more illo tuo paucis notiſſimo. Iam te ſolum amo, te ſolum ſequor, te ſolum quæro, tibi ſoli ſeruire paratus ſum: quia tu ſolus juſtè dominaris: tui juris eſſe cupio: Iube quæſo, atque impera quidquid vis; ſed ſana, & aperi aures meas, quibus vocem tuam audiam: ſana, & aperi oculos meos, quibus nutus tuos videam. Expelle à me inſaniam, vt recognoſcam te: Dic mihi, qua attendam, vt aſpiciam

retract. lib. 1. cap. 4.

te, & omnia; me ſpero, quæ juſſeris, eſſe facturum. Recipe oro fugitiuum tuum Domine, Clementiſſime Pater: Iam jam ſatis pœnas dederim, ſatis inimicis tuis, quos ſub pedibus habes, ſeruierim: ſatis fuerim fallaciarum ludibrium; Accipe me ab iſtis fugientem famulum tuum, quia & iſta me, quando à te fugiebam, acceperunt alienum. Ad te mihi redeundum eſſe ſentio: Pateat mihi pulſanti janua tua: quomodo ad te perueniatur, doce me: nihil aliud habeo, quàm voluntatem: nihil aliud ſcio, niſi fluxa, & caduca ſpernenda eſſe; certa, & æterna requirenda. Hoc facio, Pater, quia hoc ſolum

bus præpoſita, principium eſt etiam beati Doctoris operi. Quod reliquum eſt ſimplices ſincerasſque Auguſtini ſententias poſui, cujus nectar non commendatione ſed palato cui ſapiat eget. Præpoſitiones tantum, vel particulas, tempora, aut perſonam, verborum mutaui nomina aliqua, & clauſulas reſecaui, vt communis juris & temporis eſſe poſſet quod de ſe, de Manichæis, vel de aliquo nominatim aut peculiariter dictum fuerat. Aliquoties affectus ad majorem & efficatiorem contraxi breuitatem, aut ex duobus capitibus commodiſſimè conjungendos junxi, vt videre eſt marginalium citationum adminiculo hæc omnis minorem quidem maſſam ſed

Digitized by Google

putumque Augu-
inferioris metalli
m tibi tradent,
ſenſus porrò om-
per ſe completi, re-
aut ad alios non
s vidi ex Augu-
num clauſulis
a pridem editos
ſed coacto, &
s quam Auguſti-
ti minuſque ad-
,in quo illud jure
dem judicio pote-
verba ſolum lau-
re mi Lector hæ
re, & Deum pr

AFFE-

Digitized by Google



Digitized by Google

noui: ſed vnde ad te perueniatur, ignoro. Tu mihi ſuggere, tu oſtende, tu viaticum præbe. Si fide te inueniunt, qui ad te refugiunt, fidem da: Si virtute, virtutem: ſi ſcientia, ſcientiam: auge in me fidem, auge ſpem, auge charitatem. O admiranda, & ſingularis bonitas tua! ad te ambio, & quibus rebus ad te ambiatur, à te rurſum peto. Tu enim ſi deſeris, petitur hic; ſed non deſeris, quia tu es ſummum bonum, quod nemo rectè quæſiuit, & minimè inuenit: omnis autem rectè quæſiuit, quem tu rectè quærere feciſti: fac & me, Pater, quærere te: Vindica me ab errore: quærenti te mihi ni-

Digitized by Google

hil aliud pro te occurrat, ſi nihil aliud deſidero, quam te. Inueniam te jam quæſo, Pater: ſi autem eſt in me ſuperflui alicujus appetitio; tu ipſe me munda, & fac idoneum ad videndum te. Oro clementiam tuam, vt me penitus ad te conuertas; nihilque mihi repugnare facias tendenti ad te; Iubeaſque me dum hoc ipſum corpus ago, atque porto, purum, magnanimum, juſtum, prudentemque eſſe, perfectumque amatorem, perceptoremque ſapientiæ tuæ, & dignum habitatione, atque habitatorem beatiſſimi Regni tui. Amen.

FINIS.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

Digitized by Google

Del Collegio Romano

Digitized by Google

8 — 7 — C1.

o 4. 6 honore . horrore

Digitized by Google

BIBLIOTECA